34.A.C.13.

IOSEPHI MARIÆ SVARESII EPISCOPI VASIONENSIS DIATRIBA, SIVE ORATIVNCVLA *de Coralio.*

Illuſtriſſimæ & Excellentiſſimæ Principiſſæ
LVCRETIÆ BARBERINÆ
Ioſephus Maria Suareſius, Epiſcopus
Vaſionen. Felicitatem.

ILluſtriſſima & Excellentiſſima Principiſſa,

Habueram olim oratiunculam ſiue Diatribam de Coralio in Academia Romana Humoriſtarum coram Eminentiſſir is Cardinalibus Barberino, *&* Columna, *quorum ille patruus eſt Excellentiæ Tuæ, hic verò auunculus: Illam nunc in vigeſimum quartum preſſam annum in lucem emittere auſus, & velut è priuato eductam carcere aſſerere in publicam libertatem, atque dicare ac nuncupare Tuæ Excellentiæ; exoro,*

Digitized by Google

quoad obnixè poſſum, Excellentiam Tuam, vt hoc quidquid eſt opellæ, quod tantis Principibus haud diſplicuit, eorumque benignitate ſophos *aliquod, &* Επισημασίαν *doctorum tunc emeruit, Hieronymi præſertim Aleandri iunioris litteratorum eo æuo coryphæi: Excipiat etiam Exellentia tua perbenignè, ſuôque dignetur aſpectu, plauſum illi publicum quoque concilians. At ego habebo inſuper Excellentiæ Tuæ, præter tot nexus, qui me ipſi, & Excellentiſſimæ Familiæ Barberinæ arctiſsimè deuinciunt, vel iſto nouo nomine denuò adſtrictus, gratias immortales.*

MOs iampridem receptiſſimus eſt, CARDINALES EMINENTISSIMI, ab antiquis (ſicut opinor) ſodalitiis deductus, vt quiſquis in aliquem cœtum admittitur, ſymbolum veluti ſuum conferat, & aliquo grati animi monumento ſocios, à quibus humaniter, ac beneuolè fuit exceptus, muneretur. Itaque mihi cùm primùm beneficio veſtro (ACADEMICI NOBILISSIMI) inter vos accenſeri cœpi, cogitanti diligenter, ecquod potiſſimum munus hoc de more vobis offerrem, Nymphæ patriæ hanc eximere curam, & Coralium, quod ad oram Prouinciæ noſtræ laudatiſſimum naſcitur, præferre viſæ ſunt: Illud igitur amplexus percupidè, nec minùs vobis gratum, acceptumque fore, quàm populo Romano prælatas in Triumphis peregrinas arbores, confidens, ex aſſe dedico, conſecróque; ne tamen illotis manibus id attingam, pauca præfari lubet, & illius gemmei fruticis ortus,

ortus, incrementa, vires, & vſus breuiter antè commemorare.

Vos, Eminentissimi, Cardinales, me vt Coralia diſpiciam, vt ſublegam, tenui cymbâ nauigantem in altum veſtræ benignitatis afflatu ſecundo feliciter prouehere, ac quaſi per medium profundum euntem in illis vaſtis gurgitibus, & aquarum labyrinthis, Tu quidem tui ope Melicertæ; tu verò Tuæ Sirenis operâ tutum, ſoſpitémque perducere ne dedignemini.

Videntur aduerſi poſuiſſe venti, & dulciter adſpirantis Fauonij lenes animæ proſperè vela mea per arridentis pelagi ſinus impuliſſe: neque verò curſus fuit per Oceanum, quo vel in Auſtrum ad Æthiopica littora circumueherer, vbi Coralio primam originem, & veluti natale ſolum fabulæ adſignant; vel ad Erythræa, & Perſica Emporia deferrer, circa quæ gignitur, vti Diſcorides, & Arrianus tradunt; nec in Orientem contendi vt adirem Indos, apud quos illius maximam copiam, maximum pretium Dionyſius Afer, & Plinius eſſe teſtantur; nec in Septentrionem, vt Caledonios Britannorum remotiſſimos viſerem, prope quos æſtus

——*virides algas & rubra coralia nudat*,

vt cecinit Auſonius; vel denique Luſitaniæ oram extremam, & Occidui Solis cubilia luſtrarem, aut procul Inſulam ſancti Martini, circa quam nauigantem Columbum anchorarum vncis affixos Coralij ramos extraxiſſe narrant: ſed per mare noſtrum, quod vocant Mediterraneum perrexi, non tamen ad Thuſcum pelagus iuxta Grauiſcas; nec ad Campanum, ſiue Surrentinum ſinum propè Neapolim; nec ad Siculum mare circa Heliam, & Drepanum, quibus locis id creſcere Plinius, & Hermolaus Barbarus prodiderunt.

Iuuabat excurrere longiùs, at non in Africam ad Hipponenſem arcem, cuius ex aduerſo pulcherrima Coralia colligi Leon & Nicolaus memorant. Nam verebar in-

Digitized by Google

feſtorum illic piratarum incurſus, & me blandum dulciſſimæ patriæ tangebat deſiderium. Argonautarum igitur veſtigia relegens ad Stœchadas inſulas Heroum illorum ſtatione nobiles, & Apollonij Rhodij carminibus celebres dicto citiùs adpuli. Hîc mihi iucundum fuit fabuloſos veterum errores animo repetere, atque oculis ea loca vſurpare, quæ ſcriptorum curioſa diligentia memoriæ ſacrauit: mox vbi animum, atque oculos grato ſpectaculo nonnihil ſatiaram, paululum digreſſus è portu, luſtraui vicinos Nereidum hortos mirâ rerum varietate amœniſſimos. Ibi Nymphæ perpetuâ virginitate ſanctæ nullo Tritonum contagio polluuntur; illis vnum opus eſt Coralij plantas ſtudioſiùs excolere, nec minore curâ quàm Heſperidibus aurea mala: has enim plantas illibati pudoris Nymphæ potiſſimùm in deliciis habent, quod & ipſæ ſuaue-rubentes pudibundo virtutis colore tingantur.

Sed dum auidæ curioſitati explendæ huc illuc temerè aberro, vagum me ſubſiſtere iuſſit patrij littoris accola Nympha Prote formæ præſtantiâ gratiſſima, diûque detinuit, non amore captum, ſicut Vlyſſen Calypſo, ſed admiratione defixum, cùm multa de Coralio non tantùm oratione ſuauiſſima recenſeret, ſed etiam digitis indicibus deſignaret. Nec enim neceſſe fuit vt in mare me demitterem, accinctum vitro, quod Alexandrum Magnum tentaſſe ferunt, vt piſcium fœtus, nataleſque perſpiceret; ſed cùm me ſequuta velut ex voto deſtituiſſet aura, neque vel leui flabello tantillùm criſparentur vndæ, placidumque ſtaret æquor, adeò pellucidum, ac limpidum erat, vt in imo iacentia quæque perſpicuè viderem, mirarérque Naturæ liberalitatem, quæ pulcherrimas ſuas opes in fundum maris proiecerat. Tum illa conuerſo in me vultu: Fruſtrà (inquit) de mari queruntur mortales, & perperàm ſterilitatis illud inſimulant. Nam præter innumeros piſcium, quos alit greges,

quamuis

Digitized by Google

quamuis neque feratur, neque colatur vnquam, ſyluas tamen, atque laurum, & oliuam ferentem baccas, ſiue arbores oleæ, laurôque perſimiles, & plantas floreſcentes, ac frugiferas, atque algas, herbaſque compl urimas, quæ naturæ ludentis arte ſimul intextæ prati ſpeciem referunt, nauéſque ſæpiùs remorantur; ac fungos inſuper vbertimè profert, vt in Erythræo ſinu, & in pelago Indico iamdudum à veteribus obſeruatum: & qui regiones longinquas adeunt nautæ, in Pacifico (vt vocant) mari, & in Occidentali Oceano quotidie comprobant. Nonne verò, licet infœcundum penitus foret, ſterilitatem ſuam egregiè compenſaret, concharum, & vnionum, ſiue margaritarum, quas *poma maris* Tertullianus vocat, feracitate? ob quam non ſolùm cum aëre oſtentante ſua ceraunia; cum igne iactante apud ſe cocta murrhea pocula; cum terra gemmas, & metalla ſuis è viſceribus promente certat, ſed omnibus illis elementis longè præcellit.

Perinde ac conchis, & margaritis, Neptunus gloriatur etiam Coralio, quod nobis ſibi fidiſſimis quaſi ceimelium pretioſiſſimum ſeruandum commiſit: Coralium, quod à Metrodoro *Gorgonia* fuit vocitatum, quia putabat illud aquis exemptum è vimine in gemmam dureſcere, ſicut oſtenſo Gorgonis capite verſa fuiſſe in lapides adſtantia quæque Poëtæ commenti fuerant, quod *Lithodendrum*, quia *lapidis*, *& arboris* naturam ſimul exprimit, ſiue *Dendritis*, aut *Dendrites* appellatum fuit à Dioſcoride; Coralium, (inquam) ne dictum putes ἀπὸ τῆς χειρὸς, hoc eſt, à *manu*, quod illius contactu lapideſcat, nec (vt Theophraſtus aſſerit) ἀπὸ τῆς κόρας, hoc eſt, *à tonſura*, ſiue à radendo, quod retibus euelli, vel acri ferramento præcidi ſoleat, ſed ἀπὸ τῆ κόρης id nominis ſortitum ſcito, non quod è puellæ Meduſæ capite ſtillans cruor virgas ſub æquore natas infecerit, illæque mox induruerint, atque irrubuerint in Coralium muta-

Digitized by Google

tæ, ſicut Mythologi fabulantur: verùm quia puellarem, ſeu virginalem verecundiam natiuo ſuo rubore præferr: an verò *κοράλλιον*, an *κοράλιον*, an *κόραλλος* efferri debeat? Grammaticos, & Criticos rixari ſinito. At ſi veram gemmei fruticis originem cognoſcere velis, quam variis inuoluit mendaciis mortalium imperitia; Eam (inquit) quàm veriſſimè Tibi exponam; Etenim non inſtar lapidum, qui variis è lapillis congeſtis, & coaleſcentibus renaſcuntur, in lapicidinis, vt Iuriſconſulti ſequuti phyſicos reſponderunt in *l. fructus* §. *ſi vir ſoluto, D. ſoluto matrim.*) nec inſtar illorum adamantum, qui crebrò producunt alios tanto Naturæ miraculo, vt eos quicunque ſtatis temporibus intueatur, congenerem ſibi prolem eniti palam videat, cuiuſmodi duos hereditarios Heuerenſis Domina ex Auguſta familia Luxemburgiorum oriunda ſeruabat. Non ita Coralium gignitur, verùm è lacte, quod aliis à Coraliis promanat tanquam è ſemine ſaxis latentibus, & cauernis, vt plurimum, infuſo, diffluentéque paſſim concreſcit. Etenim ſicut ineunte vere gemmare vites, & lachrymari compertiſſimum eſt: ita quoque fuit obſeruatum ab Illuſtri viro Prouinciæ Senatore Peyreſio, qui nos ſuis in ſeceſſibus inuiſere ſæpiùs gaudet, matureſcentium Coraliorum extrema mollia, ínque ſpongiæ morem bibula, lacteſcere, ex illiſque compreſſis exprimi liquorem lacteum, & candidum, vnde Coralij baccas eſſe candidas opinabantur veteres, hicque liquor ſicuti ſtacte myrrhæ, vel nobilis Balſami ſuccus, ſuo tempore ſudans, & à nobis diſperſus, non ſaxa tantùm, ſed & obuia quæque fœcundat, mox germinans in nouellam plantam reſurgit. Inter loquendum protulit aliquot conchas, quarum teſtæ recentibus lactis illius guttis delibutæ Coralium concipiebant; aliæ pridem eo perfuſæ exſerebant iam ramuſculos rubeſcentes; protulit & Antipathis fragmenta Coralio circumuoluta: & ſic Antipathis ramo, qui

Digitized by Google

qui viſitur in Eminentiſſimi Cardinalis Barberini Muſæo; ſic fronti Cranij, quod oſtentatur in porticu Piſana Magni Ducis Hetruriæ, innatum eſt Coralium. Dein vt cum creſcente Coralio ſermo quoque creſceret, ſubiunxit:

Illud non ſurſum, ſed deorſum in ſpecubus, & antris plerumque concauis ſuccreſcit, ad ſemipedem frequentiùs porrigi, raróque pedaneos ramos reperiri ſcripſit Solinus; Drepani tamen in æde Deiparæ ramum, cuius altitudo iuſtam hominis proceritatem æquat, vt circumfertur, plures emittere ramos haud dubium eſt: quinque numerauit Baldenſel in Erythræo. Eius color veteribus quidem viridis in aquis eſſe viſus eſt; ſed hic ruber vel albus, vt in Erythræo quoque mari; at in Perſico, vbi *Iace* denominatur, niger, experientiâ, quam certiſſimam rerum indicem Pindarus appellauit, deprehenditur: & ſimul albi, rubríque Coralij virgas connexas, & cohærentes exhibuit, Illius (adiiciens) Baphiæ nos ſumus, & ſicut infectores ad vſum Romanorum Imperatorum vel albâ, vel rubrâ, vel nigricante purpurâ lanas imbuebant; ita nos frutices iſtos albo, rubro, nigro, quinetiam croceo, variiſque coloribus pro libito tingimus. Quod adtinet ad fictam mollitiem, ridenda quidem videtur Ouidij, Claudianique licentia, qui mollem herbam, fluxumque vimen eſſe ſub vndis tam lepidè mentiuntur. Sed accuſanda grauiter Theophraſti, Plinij, Dioſcoridis, Solini, reliquorumque Phyſicorum, ac Medicorum ferè omnium incuria, turpiſſimúſque lapſus in re, quæ vel digitis explorari poterat. Enimverò illi Andabatarum more in Poëtarum ſententiam, pedibus tamen, euntes, Coralia extracta mari præ frigore circumambientis aëris denſari, natalibúſque derogatis, quemadmodum ſuccinum, cryſtallum, lyncurium, & vnionem ſecundum Plinium libro nono Naturalis Hiſtoriæ cap. 35. indureſcere, rigeſcere, lapideſ-

Digitized by Google

cere dictitarunt. Saxea profectò (velint, nolint) Coralij ſub aquis ipſis durities eſt, & ea Seneccenſis Epiſcopus Quiqueranus, quem fata terris tantum oſtenderunt, in vndis immiſsâ manu Coralia tractans expertus eſt, & validiſſimis aſſeruit argumentis: expertus eſt & nunquam ſatis laudatus Peyreſius, errorîſque cauſſam ſubortam è mollitie cruſtulæ puniceæ, ſeu cineritiæ, quâ tanquam cortice Coralia veſtiuntur, ſagaciſſimè ſubodoratur. His accedit Tobiæ Aldini Phyſici, Botanicique peritiſſimi, & quo haud ſcio an alius Hermeti ſit gratior, probatiſſimus calculus. Certiſſimè verò Phyſicos, Medicóſque veteres refellunt ipſi piſcatores, quorum retia Coralium, ſi molle foret, in aquis ſeſe plectendo, complicandóque facillimè poſſet eludere.

Intereà ſuperueniunt illi quaſi populabundi decuſſatas machinas retium è funibus firmiſſimis compactorum trahentes, & hac indagine ſaxa circumquaque cingentes, celerriméque tranſuecti, immergente ſe ſubinde Nymphâ, & obnitente nequicquam, multa Coraliorum fruſta conuulſa, diſtractáque retulerunt, hiſque ſpoliis onuſti, ac prædâ læti receſſerunt procul.

Obſtupueram ad inſolitum ſpectaculum, & Albionem, Bergionémque Neptuni filios, quos eadem in ora graſſantes, & Piraticam exercentes in campis lapideis ab Hercule victos aiunt, rediiſſe putabam. Illa verò rurſus emergens: Ne mireris (ait) Ita ſunt auidi gemmeæ iſtius plantæ homines, vt eius gratiâ numina violare non vereantur. Illam Magi docti à Zoroaſtre miræ virtutis eſſe ſenſerunt, & prædicarunt, vt quæ tempeſtati, grandiníque reſiſteret, venena pelleret, fulminibúſque obſtaret, Dæmonas arceret, laruas, ac Lemures in fugam verteret, & animum gaudio perfunderet, ac exhilararet. Eâ Galli à Druydis inſtituti ſcuta, galeas, & gladios adornabant. Apud Indos à Brachmanibus eruditos tanto fuit in pretio, vt eâ vniones permutarent, at

ipſorum

Digitized by Google

ipſorum coniuges longè acriore Coralij flagrarunt inſaniâ, vt ex eo baccata monilia geſtarent. Haruſpices, & priſci vates Ioui, Phœbóque Coralium dicarunt, eiúſque geſtamen religioſum eſſe, tutelámque habere crediderunt, atque inter ſalutaria repoſuerunt quidquid inde fieret, idcóque ſurculos Coralij pro faſcinis amoliendis veluti bullas infantibus alligarunt. Tum ego memini huiuſmodi amuleti ſpeciem relatam à Pignorio in tabulæ Iſiacæ expoſitione. Sed illa ſubiunxit:

Etiamnum apud omnes ferè gentes bellicoſi Martijque viri ſuis in lemmatis, & inſignibus, Coralio quaſi gemmâ Marti cognatâ præcipuè delectantur, & mulierum quotquot exornant ſeſe, vt cultu formam adiuuent,

Lactea puniceo ſinnantur colla Corallo,

vti canit Sidonius; quin etiam Auicenna, Medicorúmque cohors doloribus innumeris, quos enumerare tædet mederi Coralium conſtanter affirmant.

Et hæc dicens permultos Coraliorum faſciculos meum conieci in gremium, & addidit inſuper: Hæc habe, tuiſque Romanis Academicis refer, nec dubita quin libenter excipiant. Inter alias Coralij vires non poſtrema ea eſt, quòd introitus præſtet faciles: Ingredieris feliciter, & admitteris in intimum eorum conſeſſum hac cum teſſera, ſicut Æneas in Elyſios campos aureo cum ramo. Haſce verò plantas gemmeas illi perpolientes non tantùm ex his fingent poma, quæ Paride prudentiores ſapientiſſimis Cardinalibus offerant; haud enim Purpuratos patres Coralium dedecet, cùm ipſorum amictui ſit concolor: non tantùm plectent corollas, quibus tanquam Diadematis, aut laureis, roſeiſve ſertis (nam Coralia roſæ quædam maris eſſe videntur) ipſos exornent, verùm etiam columnas ex illis excudent, excitabúntque cellulas ſexangulas, & aluearia noua, in quibus APES regnatrices Ambroſia, Nectareáque mella

Digitized by Google

toto mox Orbe diffundenda variis è floribus conficient. Olim certè ad nobiliſſimum Templum conſtruendum ex Ophir aducta ligna Thyina, id eſt, *Coralia*, Santes Pagn[illegible]s in Regum libros adnotauit,& Regiam Electro, Cora[illegible]e diuitem laudauit in Ceiri Virgilius: prætereà ſurculi[illegible]s meis iamdudum inſcripta ſunt VRBANI VIII. FRANCISCIQVE CARDINALIS BARBERINI nomina, [illegible]uo ipſos pro ſalute publica remetientes iſta maria toto C[illegible] Nympharum agmine proſequuta ſum:

Et ſimul [illegible]unt Coralia, nomina creſcunt.

Hactenus illa: mox ergo reuectus occinui Diſtichon:

Pontus habet nitidis permiſta Coralia ſaxis:
Eſt tamen in tuto li[illegible]tore certa ſalus.

VOS (Academici nobiliſſimi) quidquid hoc eſt Coraliorum rude licet, ac impolitum à me vobis oblatum iuxta Nymphæ vaticinium libentes ſuſcipite. Vos verò (CARDINALES EMINENTISSIMI) meam in Corallinis Pomis, Corollis,& Aluearibus vobis procurandis ſedulitatem, verboſiorem licet, æqui, boníque conſulite pro veſtra ſingulari benignitate, qua litteratis additis animos, alitis ingenia, ſuppeditatis otia, & ſtudia veri Mecœnates exornatis. Dixi. Romæ die XXVIII. Ianuarij 1629.

Digitized by Google